Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

venisset kalendis iunii ad montem, et quinta die iunii legem accepisset: si eadem die revoluto anno recessit, patet quod iiii. diebus et anno sederunt ad montem. Et ita tertio mense anni legitimi die iiii. recesserunt. Tamen nichilominus verum est quod secundo mense anno secundo xx. die egressi sunt. Tripliciter enim vel pluraliter accipitur annus ab eis. Preter naturalem annus usualis a ianuario quem habebant communem nobiscum in contractibus suis et negociis communibus agendis. Quoto autem mense huius anni, quota die egressi sunt nescimus. Est et apud eos annus legitimus quo utuntur in legitimis que aguntur. Huius ut diximus tertio mense et quinta sunt die egressi. Est et apud eos annus emergens. In memoriam enim liberationis sue ceperunt annos suos numerare ab exitu de egipto. Sicut greci a prima olympiade, romani ab urbe condita, xpiani ab incarnatione domini. Et huius anni secundo mense xx. die egressi sunt. Iam enim annus a phase usque ad phase unus transierat, et de secundo a phase scilicet fluxerant l. dies. Ergo mensis unus xxx. dierum, et secundus iam fecerat xx. dies. Hec autem annorum distinctio in multis locis necessaria est.

In hac mansione media pars exodi et totus leviticus et numerorum precepta non modica descripta sunt. Duxit autem moyses secum obab vel iobal fratrem uxoris sue, qui noverat in quibus locis per desertum castra commode poterant poni, promittens ei de optimis que traderet eis dominus. Sane cum elevabatur archa dicebat moyses: Surge domine et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua. Cum deponeretur aiebat: Revertere domine ad multitudinem exercitus israel.

(Margin: Infra iudicum capitulo. filii autem cynei.)

De electione lxx. seniorum. xi.

Ortum est autem murmur populi contra dominum dolentis pro labore, et accensus ignis in ira domini devoravit extremam partem castrorum, illos scilicet qui longe remoti erant. Oravitque moyses ad dominum et absorptus est ignis. Vocavitque nomen loci illius incensio. Tamen non fuit hoc nomen mansionis. In eadem quoque mansione vulgus promiscuum quod ascenderat cum eis, id est servi et ancille egiptii, et multi de israel pariter cum eis flagrabant desiderio carnium. Carnium nomine non solas carnes, sed aliorum ciborum etiam habundantiam intelligimus. Unde in querela eorum nec de carnibus legitur cum dixerunt: Recordamur piscium quos comedebamus in egipto gratis. In mentem venerunt nobis cucumeres et pepones et porri et cepe et allia. Anima nostra arida est, nichil vident oculi nostri nisi manna. Audivitque moyses populum flentem et intolerabilis res visa est ei, quia ab eo escas petebant, et ait ad dominum: Cur imposuisti pondus populi huius super me? Numquid ego concepi aut genui hanc multitudinem omnem? Obsecro autem an alterius provideas, aut interficies me. Cui dominus: Congrega michi lxx. viros de senioribus israel quos nosti meliores, ad ostium tabernaculi, et auferam de spiritu tuo, traditurusque eis, ut sustentent onus populi tecum. Et populo dices: Cras dabo vobis carnes usque ad mensem dierum, id est que possint sufficere usque ad mensem, et usque ad nausiam. Vel dicitur large nausia pro vomitu. Proprie enim est vomitus ille qui excitatur fetore sentine. Ablatio quidem de moysi spiritu et traditio aliis non est intelligenda divisio spiritus eius per partes vel imminutio, sed illuminatio aliorum ad regendum populum per eandem spiritualem gratiam per quam et moyses illuminatus erat. Sicut de igne unius lucerne multe illuminantur sine sui diminutione. Electos itaque lxx. viros duxit moyses ad ostium tabernaculi preter duos qui in castris remanserunt non ex contemptu, sed quia se reputabant indignos. Quorum unus vocabatur eldad, alter medad, et erant ut aiunt hebrei fratres moysi ex matre, non ex patre. Iosephus dicit ex patre sed non ex matre, quia post legem acceptam amram mandante moyse dimisit matrem suam, quia amita eius erat, et duxit aliam de qua suscepit hos duos filios, sed et sic tamen hi nondum erant bimi. Descenditque dominus per nubem et requievit spiritus in eis qui stabant cum moyse, et prophetabant. Sed et duo qui remanserant in castris prophetaverunt, nec postea siluerunt, id est semper deinceps vocati sunt prophete. Et rediit moyses cum illis ad castra.

De datione carnium et ira dei super eos.

Ventus vero egrediens a domino arreptas transmarinas in insulis ortigometras coturnices detulit in castra, id est et per circuitum castrorum itinere diei unius. Volabantque in aere altitudine duorum cubitorum. Surgensque populus congregavit in duobus diebus coturnices et siccavit eas. Qui parum, x. choros habuit. Et fuerunt hee coturnices non modice ut traditur sicut que apud nos sunt, sed ille maiores que regie aves dicuntur, quas curlerios a currendo vocamus. Nec dum defecerat cibus et furor domini percussit populum plaga magna nimis. Modus vero plage non determinatur hic, sed in psalmis videtur quod fuit ignis. Sepultusque est ibi populus qui carnes desideraverat. Unde et locus ille vocatus est cabroth, quod sonat desiderium sepulture, vel sepulchra concupiscentie.

(Margin: Perdices nos vocamus.)

(Margin: Post dicit lex esse datam acceptam a moyse pro egiptia ... pro datione.)

De lepra marie et causa lepre. xii.

Egressi autem de sepulchris concupiscentie venerunt in aseroth. Ibique iurgati sunt maria et aaron contra moysen propter uxorem eius ethyopissam, qui rixantes cum eo improperaverunt ei quod reginam ethyopie uxorem duxerat vel ductam dimiserat, vel potius propter uxorem eius sephoram, que rixata fuit contra mariam. Madya